Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum
cum Maria matre eius: et procidentes adorauerunt eum.
Et apertis thesauris suis: obtulerunt ei munera, auru, thus,
et mirram. Et responso accepto in somnis ne redirent ad
Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.
Deo gratias.

Initium sancti Euangelij secdm Marcu. Cap: VIIII.

In illo tempore, Respondens unus de turba dixit ad Iesu,
Magister, attuli filium meu ad te habentem spiritum mu-
tum, qui ubicunq; eum apprehendit allidit illum, et spumat,
et stridet dentibus, et arescit, et dixi discipulis tuis, ut eijce-
rent illum, et non potuerunt: qui respondens eis, dixit: O
generatio incredula, quam diu apud uos ero, quam diu
uos patiar: afferte illu ad me, et attulerunt eum. Et cum
uidisset eum, statim spiritus conturbauit illu, et elisus in
terra uolutabatur spumans: et interrogauit patrem eius,
quantum temporis est, quod ei hoc accidit: et ille ait: ab in-
fantia, et frequenter eum in igne, et in aquam misit, ut
eum perderet. Sd si quid potes, adiuua nos misertus nostri.
Iesus autem ait illi, Si potes credere omnia possibilia sunt
credenti. Et continuo exclamas pater pueri cum lacrimis